

12  
CONGRATVLA-  
TIONES AD DECEM  
ORNATISSIMOS

IUVENES

*Jacobum VVindheselium Noricum*  
*Johannem Burckhartum VVeissenburgensem*  
*Danielem VVagnerum VVindeshemium*  
*Johannem Zunnerum Herspruccensem*  
*Heinricum Heuschkelium VVeidensem*  
*Georgium Nuberum Hagenhausensem*  
*Andream Bohemsum Noribergensem*  
*Paulum Stengelium Noribergensem*  
*Johannem Hoffmannum Dünckelsbitensem*  
*Georgium Seubothium Pabepergensem.*

Quibus in inclita Noribergensium A-  
cademia Altorphina à clariss: viro, D. D. PHIL-  
IPPO SCHERBIO, Philosophiæ & Medicinæ  
Professore, tum temporis Decano specta-  
tissimo, primus Philosophiæ  
gradus decerneba-  
tur.

Anno c19 19 xci. xviii. Decemb.

SCRIPTÆ AB AMICIS.

NORIBERGAE,  
TYPIS GERLACHIANIS.



ORNATISSIMIS X.  
IUVENIBVS,

IACOBO WINDHESELIO  
IOHANNI BURCKHARTO  
DANIELI WAGNERO  
IOHANNI ZUNNERO  
HEINRICO HEVSCHKELIO  
GEORGIO NVBERO  
ANDREAE BOHEMO  
PAVLO STENGELIO  
IOHANNI HOFMANNO  
GEORGIO SEVBOTHIO.

De primo Philosophiæ gradu  
gratulatur:

**D**octrina virtuti decoræ  
Multijuga optimè  
Sociata, summam gloriam &  
Laudem profectò promeretur:  
Sola etenim artium  
Solida optimarum & pulchrior  
Cultura, virtutisq; sudor  
Assiduus, decus  
Et honoris aternant bonum:  
Claro reponit Fama pulchra  
Principe tum loco,  
Quibus id modo cura fuit,  
Vt quidquid eccellente factum  
Ingenio dedit  
Stagyrites olim maximus  
Multo sibi notum labore

Reddere

Reddere possient,  
Et in hisce pulchrè pergere.  
Exempla prostant sanè ubiq;  
In quibus & decem  
Iuvenes modesti ac optimi  
Vos jure summo jam referri  
Condecet, unice  
Studiis adhuc planè dati,  
Qui castra Musarum labore  
Assiduo satis  
Coluistis, & vitam piam  
Cunctisq; commendatam agentes  
Digni estis habiti, en,  
Decus ut Schola huius, SCHERBIUS,  
Insigne, vobisserta nectat  
Laureolà ex sacrâ,  
Creet atq; Baccillaureos:  
Qui gloria primusq; & imus  
Est gradus, & datur  
Vt, amore moti hujus gradus,  
Majora tentetis, nec uni  
Semper inhereant  
Animi, sed & summum jugum  
Conentur hinc attingere alti  
Montis Apollinei  
Et adire Parnasi domum.  
Quod restat, hunc vobis honorem  
Gratulor, atq; eum  
Aveo bonum augustum sequi.

Michaël Piccartus  
Noribergensis.

AD V. IUVENES,

IACOBVM VVINDHESELIVM  
IOHANNEM BURCKHARTVM  
DANIELEM VVAGNERVM

A 2 IOHAN-

IOHANNEM ZVNNBERVM  
GEORGIUM NVBERVM.

**T**hbris Palladiis præcelluit artibus olim,  
Et longo præstans tempore Marte fuit:  
Hic bellatorum e cœtu procerumq<sup>3</sup> coronâ  
Ornabat fortes laudis honore viros.  
Et merito: Quis enim bello se credat avaro,  
Fructifera laudis ni comitatur honos?  
Quis patriam nitidis defendat foribus armis,  
Perpetuum si non surgat inde decus?  
Atq<sup>3</sup> hac solerti (ni fallor) certa Pelasge  
Genti consilii meta scopusq<sup>3</sup> fuit:  
Scilicet ut studium calcar virtutis ad ipsum  
Hoc pacto intrepidis adderet acre viris.  
Et recte, siquidem hoc ipso sibi deniq<sup>3</sup> pacto  
Insignes peperit pace vigente duces.  
Quos bene de patria meritos hinc fama secuta est  
Præclara & nullo deperitura die.  
Ergo cui mirum fiet, hoc quod tempore, nostra  
Hic fiat magna non sine laude schola:  
Barbariem contra qua pugnat fortibus armis,  
Inq<sup>3</sup> feram hanc semper bella inimica gerit.  
Nam nisi discentes habeant sua premia laudum,  
Gloria Musarum est corrutitura brevi.  
Id, quod Noriaci venerabilis ordo Senatus  
Vsu jam rerum scitq<sup>3</sup>, sciitq<sup>3</sup> diu.  
Propterea summo Musarum adductus amore,  
Decrevit studiis præmia digna bonis.  
Instinctu cuius fido studiosa juvenus  
Artes sectatur cum probitate bonas.  
Et meritam laudem & victricem industria palmam  
Propositam sequitur non remorante gradu.  
Nec male prudenti res hac laudanda Senatû  
Succesit, summo sic moderante Deo.  
Quod censura satis juvenum bis quinq<sup>3</sup> probavit,  
Inter quos primos vos numerare licet.  
Tu VVindheseli primo stas signifer acris  
Ordine, quem tribuit turba Novena tibi.

Et schola tota tibi meritum hunc decernet honorem,  
 Expertes cuius conspicis esse pigros.  
 Tu Burckharde locum supple cum laude secundum,  
 Quem tibi Phœbigena contribuere patres.  
 Ad te progredior celeri VVagnere Camœna,  
 Tertius, haud, ornat, quem sine laude locus.  
 Nunc Zunnere veni, quem ponier ordine quarto.  
 Fas est: huc docti te posuere viri.  
 Post hos te series etiam Nubere requirit,  
 Namq, alias sextum dat tibi Musa locum.  
 Dignus & ille locus, quenquam nec dedecet ille,  
 Quàm plures cuperent hunc habuisse locum.  
 Omnibus id meritò vobis contingit honoris,  
 Et frontes vestras Laurea prima tegit.  
 De qua ceu fas est animo nunc grator amico,  
 Nec minus ut faueat letus Apollo precor.  
 Suscipite hoc animis dextris animisq, benignis,  
 Et placidis carmen pervolitate genis.

Leonhardus Schlemmerus  
 Altorffinus.

## AD TRES IUVENES,

IACOBVM WINDHESELIVM  
 DANIELEM WAGNERVM  
 ANDREAM BOHEMV M.

**N** Il faciunt homines, facti nisi munere ducti,  
 Nec non virtutis premia quisq, capit.  
 Aspicias ut tribuant grates cultoribus agri  
 Messè bona & votis conveniente suis:  
 Aspicias ut tribuat sectoribus inclita virtus  
 Fortibus, ut meriti, premia justa suis.  
 Nonne sua laudes Pelides carpsit Achilles  
 Virtutis? quibus ad sidera vectus erat:  
 Num licet extinctum sua fatis Hectora virtus  
 Deseruit? magno nonne redemptus erat?

A 3 Sic

Sic quoq<sup>3</sup> Pierides, sic stirps Latonia vobis  
 Munera nunc, juvenes, digna labore ferunt.  
 Has etenim gnavus coluistis arator ut agrum,  
 Hinc vobis fructum carpere messe licet.  
 Ecce velut fortis, proficiscens Colchida, Iason  
 Equoris & terra magna pericla subit,  
 Fluctuq<sup>3</sup> & ventis nunc huc jactatur & illuc,  
 Incidit in scopulos qui sua transtra secant.  
 Multaq<sup>3</sup> perpeffus, ventisq<sup>3</sup> ad littora pulsus,  
 Tandem que fuerat terra petita, videt.  
 Protinus & currus Aetæ regis ad arces  
 Dirigit, hic luctum fessaq<sup>3</sup> membra levat.  
 Iungitur hic sancto Medæ fœdere conjux.  
 Plura quid? hic facti præmia justa capit.  
 Namq<sup>3</sup> ope Medæ, regis deductus in hortum  
 Auræa mox nactus vellera, latus abit.  
 Sic quoq<sup>3</sup> vos Iuvenes per dura per horrida saxa  
 Culmina Parnasi nunc superasse juvat.  
 Carpite quos flores Phœbus, quæserta sororum  
 Nunc chorus Aonidum, doctaq<sup>3</sup> turba dedit.  
 Quos magnos constat rigidosq<sup>3</sup> tulisse labores  
 In studiis, juvenes laureaserta tegant:  
 Laureaserta tegant, nec sustinuisse pigebit,  
 Curaq<sup>3</sup> præteriti nulla laboris erit.  
 Carpite quam vobis (inquam) dat Phœbus Apollo  
 Palmam, quam Laurum dat studiosa cohors.  
 Clara dies vobis quæsitq<sup>3</sup> ab æthere fulget,  
 Sertaq<sup>3</sup> vult Musasnectere clara dies.  
 Clara dies Phœbi gestit donare coronam,  
 Imponit vobis Laurea clara dies.  
 Itaq<sup>3</sup> gaudete, & sic Musis fingere mentes  
 Pergite, nam virtus præmia semper habet.  
 Pergite, & hac hilari mea carmina carpite vultu,  
 Si meliora DEVS dat, meliora canam.

Ernestus Sonerus  
 Noribergensis.

Ad

## Ad Iacobum VVindhieselium.

**D**Iversos animos hominum diversa voluptas  
Tentat, & haud omnes uno ducuntur amore:  
Sed trahit hunc studium hoc; alios studium occupat illud.

Pars gaudet bene magna mari se credere: adire  
Cannibalum populos ultra & Garamantas & Indos;  
Æquoris indomiti nec seua pericla veretur;

Quo sibi querat opum magnos industria acervos.  
Est reperire etiam queis bella nefaria cordi:  
Nec metunt pugnæ caput objectare cruentis,  
Dum tuba terrifico sonitum dat rauca fragore.

Sunt alii, quibus est nil suavius, esse labori  
Quàm rigido assuetum, vel ab ipso flore iuventa.  
Ac bobus validis solidam proscindere terram;  
Putribus ut credant cerealia semina sulcis.

Ille & frondator sylvas colit: ille laborem  
Impendit pratis: iuvat illum hortosq; virentes  
Pangere, & uviferis colles vestire racemis.

Sunt quibus Aonio spumantia pocula Baccho  
Evacuare placet, post vasa evertere fundo,  
Quiq; sibi laudi ducunt agitare triumphum  
Ingluvie, tennes quæ spernit prodiga mensas.

At miseranda lues occæcat corda gulosa:  
Errat lurconum, comedonum insanaq; turba est.  
Tam procul est etenim gula ab omni laude remota,  
Ut potius stygio devota addicta Draconi,  
Dedecore & probro aternùm mactanda sit omni;  
Quàm laudis poni parte emereatur in ullâ.

Sic specie potius, quàm quod præstentur apertè,  
Obtendi à reliquis bona, comprobatur exitus ingens:  
Non etenim comitantur opes per fasq; nefasq;  
Collectæ extinctos homines, per vulnera mortis,  
Sed citò dispercutunt, veluti Sol discutit umbras.

Turgida qui rapidis ventis dat vela per aquor,  
Cogitur ille sui capitis discrimina adire  
Quæ non? sæpe fit ut naves lacerentur ab undis;  
Et sic intèreat corpus mercesq; fugaces.

Bellum

Bellum quis nescit diris plenum esse periculis?  
Nulla salus bello: Est immanis bellua bellum,  
Non facilis dictu, vultu haud spectabilis ulli.

Tadia quis referat, quae exsorbet agreste colons  
Pectus? Quos illum sit opus perferre labores;  
Sive instet glacialis hyems, sive ingruat aetas?  
Ipsius H A B C flagrante caput fervore perurit,  
Atq; ipsum spoliat succo, penitâq; medulla:  
I L L A fame atq; gelu cruciatum vexat & urit.

At quicumq; vigil sectatur Musica castra  
Assiduaq; manu doctorum scripta virorum  
Evolvit, cerebro sudante, iterumq; iterumq;  
Huic verò celebrem virtus fert inclita famam,  
Quam nunquam poterit longæva abolere vetustas.

Qui sit? quòd multi Stagirita tempore Cræsi  
Nunc tenebrisq; jacent cooperti & morte sepulti?  
At Stagirita manet dum sol mansurus in orbe est.  
Cur queso heroum, tam multa ferocibus armis,  
Corpora visceribus terræ conclusa tenentur?  
In promptu causa est, verâ virtute carentes  
Divitiâ extinctos gemebundâ in morte relinquunt.  
Ossa etenim postquam gremio sunt condita terre,  
Mox opibus vaga fama perit, percunt & honores,  
Quos ipsis vivis tribuebat mobile vulgus.

Contra Musa viros, qui mollia labra rigârunt  
Bellerophontais undis, celi invehit astris;  
Et facit ut vigeant dum durat machina mundi;  
Luminibus nulla illorum nox ingruet unquam.

Propterea à teneris annis, dilecte Iacobe,  
Quòd tibi cura fuit socium te adungere Musis;  
Quòd non delicias faciles neq; pigra sequutus  
Ocia es: at doctas didicisse fideliter artes  
Te juvitq; juvatq;, ante omnia, quæ petere ardet  
Pectoris humani fervor; Res hæc tibi laudi est:  
Hæc erit & deinceps: En, ut jam sidere fausto  
Premia prima capis detexto digna labore;  
Quando tibi viridi redimit cava tempora fronde  
Dextra viri eloquio sôphiâ & virtute celebris

Scherbi, qui justâ librâ dispensat honorum  
Præmia, qua tribuunt studiosis inclita Musa.  
Macti animo, queis cura sedet vitisq; jociq;  
Se removere procul, quibus hæc studia impediuntur;  
Quos via difficilis non terruit, ad decus illud  
Tendenti calcanda: Etenim sic fata jubent, ut  
Vile bonum sit, quod non prævius extulit horror;  
Nec gænea & torpor cuiquam peperere triumphum.

Gratulor ergo tibi titulum quo flavus Apollo  
Nunc te condecorat, precibus simul opto precorq;  
Gloria vera Dei quò promoveatur eodem.

Tu verò ingenii dotes cumulare subinde  
Pergas, Pegaseo potans è fonte liquores.  
Sic eris haud dubiè decori patriq; patriq;  
Sic tua fama superstes erit te morte perempto.  
Hoc precor, hoc semper tibi care Iacobe precabor.  
Confirmet DEVS hæc eventu vota secundo.

Valentinus Mederus Pir-  
nensis Misnicus.

### Ad Danielelem VVagnerum.

Sicut ad extremos mercator curstat Indos,  
Ut varias, multo fœnore, captet opes.  
Non rapidos æstus, gelida non frigora brumæ,  
Insidias nullas, nulla pericla timens.  
Sæviat insanis Neptunus fluctibus, iras  
Non curat, lucri pectore perstat amor:  
Non secus Aoniis penitus mens dedita Musis  
Querit, queis possit se cumulare bonis.  
Pierium ad montem, bisfidig, cacumina currit  
Parnasi, celeri, nil remorante, pede.  
Insomnes vigilat noctes, versante diurna &  
Nocturna evolvit scripta diserta manu.  
Improbis ille puer Veneris sua spicula mittat,  
Incassum missas sentiet usq; sibi.  
Ipsa licet veniat lascivi mater Amoris,  
Blanditias rapidi ventus & unda ferent.

B

Vnus

*Vnus amor Musæ, Musas Charitasq; secutus  
 Cultor honestatis premia digna petit.  
 Maeste animo Daniel, te nam condigna parantur  
 Premia, multiplici parta labore tuo.  
 Hos meruit primos virtus bene cognita honores,  
 Moribus hoc decuit conciliare decus.  
 Publica nunc audis laudum præconia, solers  
 Diceris & studiis invigilasse tuis.  
 Vepribus ima rigent & duris obsita montis,  
 Hic sibi per cuncta hæc inuia fecit iter.  
 Sordibus emerisus, pedibus vestigia certa  
 Figit, & in salebris aspera quæq; subit.  
 Liberior placet aura, novasq; in corpore vires  
 Excitat, estq; oculis gloria rara novis.  
 Audit jam propior Phœbum, turbamq; novenam  
 Per iuga divinos concinuisse modos.  
 Constantem servate hominem pia numina, recto  
 Scandat quo reliquum tramite montis iter.  
 Ne facile innascens animis seu dira libido,  
 Seu fastus, temerent fortiter ausa semel.  
 Hæc tibi; Mi tacitum pertentant gaudia pectus,  
 Et votis jungo vota, precesq; meas.  
 Omne perge bono, felicibus utere fati,  
 Et noli decoris non meminisse novi.*

Hieronymus Hochstaterus  
 Kitingensis Francus,

### Ad Iohannem Zunnerum.

**A** Nne tibi Zunnere novi tribuuntur honores?  
 Anne Bacillarii nomen habere datur?  
 Sic sane: meritoq; tuas jam Laurea cingunt  
 Serta comas, honos hic jam tibi merces erit.  
 Merces erit jucunda tuo, Zunnere, labori,  
 Merces erit studiis, candide amice, tuis.  
 Sudasti in castris multum conamine fausto  
 Aonidum, Aonia jam tibi dona ferunt:

Vitam

Vitam degendo laudatam satq<sup>3</sup>, modestam,  
Vicisti juveni quaq<sup>3</sup>, nociva pio.  
Victori Musa ecce tibi victricia ponunt  
Signa, sacram Laurum (munera magna) ferunt,  
Sed quia te patria una, fidesq<sup>3</sup>, adjunxit Amicum,  
Officium subit en Musa mea hocce novum.  
Poscit amicitia cultus sine labe peractus,  
Ut de collato grater honore tibi.  
Maecte ergo Zunneri novo jam latus honore,  
Maecte gradu, meritis quem labor ille tuus:  
Quem tua promerita est doctrina & vita modesta:  
Perge ita, nam restant & graviora tibi.  
Doctrinâ quoq<sup>3</sup>, maecte tui virtuteq<sup>3</sup>, Patris,  
Hic scopus esto tibi, ac hunc imitare piè.  
Quod reliquum est, faxit DEVS, ut cum laude sequentes  
Et magis eximios promereare gradus.

Sigismundus Gottus  
Herspruccensis.

### Ad Heinricum Heuschkelium.

Q<sup>ui</sup> sua rura colit patiens extrema colonus  
Insudat, metam optatam contingere tentans.  
Horrea namq<sup>3</sup>, domi reficit solers, benè vertit  
Vomere curvatus campum, mala sustinet atq<sup>3</sup>  
Plurima, nec jejunus eget sua rura colendo.  
Non hyemes sevas, non magnos sole calores  
Æstivo refugit, non imbres ille veretur,  
Mercedem ut capiat plena horrea condat arator.  
Non minor est virtus vestigia ferre coloni  
Qui cupit Aonidum solers sacra castra sororum  
Carpere, non minus is retractet plurima secum:  
Sæpè laborifero jungat sua colla jugo, nec  
Ingenium curis alienis torqueat unquam:  
Sed docilem Musis totus se dedat alumnum.  
Serò det somno sua lumina victaq<sup>3</sup>, mane  
Destituat strati lecti quoq<sup>3</sup>, dulcia fulcra:  
Lustret, vestiget libros, pia dogmata discat:

Nec curet si fortè velint certare bibendo  
Fratres, nec Bacho sacret, sed sedulo tentet  
Expetere ingenua memorabile nomen ab arte,  
Nec res à Musis animum trahat ulla colendis,  
Sed colat officium mandatum desuper ipsi.  
Talia mentem animumq; tuum flexisse sodalis  
Res loquitur, cum sis solempni lauream adeptus  
Iudicio, & pater Aonidum decorarit honoris  
Te titulo, HEVSCHKELI, meritò tibi gratuler ergo  
Me monet & pietas, monet & sociata caterua.  
Gratulator ergo tibi, juvenis doctissime, & unus  
Inter ego socios precor omnia fausta, valeto.

Valentinus Restius Georgi-  
montanus Sepusius.

### Ad Georgium Nuberum.

**A**utumnum postquam rapuerunt lumina solis,  
Et torpet gelido tellus constricta vapore:  
Ecce Nubere, mei cordis qui portio magna es,  
Dona tibi Phœbus doctà cum Pallade donat,  
Suavia, dum cingit viridis tua tempora laurus.  
Fallor an hic arcanum aliquid latet? haud ego fallor  
Scilicet hoc rerum series notat ista, quod edam.  
Ut modo, cum siccis aër fervoribus ustus  
Candet, & astringit terra cava viscera venasq;  
Ut gremio altrici germen non proferat ullum;  
Et Muse tamen ex hortis Aganippidos alma  
Hæc tibi, quæ dixi ferta, hoc tibi amabile floris  
Conciliant decus; eductum Parmeside lymphâ  
Quod lucere tibi circum cava tempora mandant:  
Sic studiis operam quicumq; impendit honestis,  
Musarumq; adytis pernox & perdius instat,  
Illum, illum nulla sortis rapienda procella  
Commoditas, illum bona vera & solda sequuntur,  
Quæ non frigoribus Boreas Eurûsve perurat,  
Quæ spernant Zephyrosq; simul Caurosq; furentes.  
Ergo meam meritò complent nova gaudia mentem,

Quando

*Quando tibi hoc etiam modo contigit, optime frater,  
Quem mihi amicitia vero scio foedere nexum,  
Pectora nostra duo quod combinavit utring.*

*Quid tamen hic moneam pro tempore, si lubet, audi;  
Laurea, quam fertis tibi donavere corollis  
Noriaca Muse, sophie gradus illa putatur  
Primus, teq; monet noctesq; diesq; subinde:  
Ut viget ac nunquam arescens sacra Laurus: ita ipse  
Tu quoq; nunquam non Musarum castra sequaris.*

*Ergo Nubere sacrum hoc donum tibi gratulor, atq;  
Opto precorq; diu tibi Lauream ut ista virescat:  
Crescatq; aurescatq; adeo. Nam plurima restat  
Ad metam via, quae Musarum fixa colono est.  
Ipse tibi viresq; DEVS mentemq; ministret,  
Quo sine nil penitus mortalia pectora possunt.*

Valentinus Mederus.

### Ad eundem.

**M**usarum qui culta novem bene castra sequetur,  
Hincq; sibi clarum nomen habere volet:

*Hunc juga permagni praedura laboris oportet  
Ferre, nec in luxum solvere membra malum.*

*Nam veluti miles fortis, si rumpit in hostem,  
Laudatur, quando Martia signa volant:*

*Sic omnem, studiis cui mens intenta furentem  
Pellere barbariem, laudat Apollo virum.*

*Laudat Apollo virum, variis & dotibus effert,  
Qui sint militia signa parata sua.*

*Quae non fucus habet, non optans somnia captat,  
Nec, quem dura piget Palladis arma sequi.*

*Nec, qui doctricanas Musarum negligit ades,  
Et modo Bachantum querere tecta studet.*

*At, qui perrigidum complexus amore laborem,  
Illi, Castalides summa trophaea ferunt.*

*Hicce labor primum quamvis sit durus & ingens,  
Suadeat ac oneris subdere colla iugo:*

*Ipse tamen finis Narcisso gratior omni  
Est, Hyblaeorum mellaq; vincit apum.*

Felix ò nimium felix, nimiumq; beatus,  
 Hunc qui constanti vincere mente potest.  
 Sed cur Mœenides veniunt, pia nûmina, Musæ?  
 Auroræq; solet qualis adesse dies.  
 Forsan festa novo repetent solemnia cantu,  
 Militibusq; ferent munera grata suis.  
 Est est: his etenim jam cum venis ordine, Nuber,  
 Quis dantur Sophiæ premia digna gradu.  
 O decus Agnidum, lux ò clarissima Phœbi,  
 Expectata diu, nunc inopina venis.  
 Sextum jure locum capis en, Nubere sodalis,  
 Cingunt Laurigerum dum tibiserta caput.  
 Quem tibi non somno, non tempus agendo Lyæo,  
 Sed magis ex studio dixeris esse datum.  
 Et sanè merito: nam tu, perchare Georgi,  
 Docta subis humeris Palladis arma tuis.  
 Gaudes doctorum pervolvere scripta virorum,  
 Otia, quæ Musis sunt peragenda, facis.  
 Nocturna scribendo manu, discendo diurna  
 Nuber, Parnasi Numina sacra colis.  
 Otia pigra fugis, quæ sunt odiosa Γεώργω,  
 Atq; tibi laudem sedulitate paras.  
 Quod decet, idcirco talem tibi grator honorem,  
 Qualem Palmigeri pignoris instar habes.  
 Hic tibi sit stimulus, donec majora reportes,  
 Discendi, summi dona Magisterii.  
 Deniq; non torva carmen, sed fronte serena  
 Accipe, quod tenuis nostra Minerva dedit.

### Ad Andream Bohemum.

<b>F</b> elix cui Sorores	Aquas: sed usq; calum
Novem caput recingunt	Stellas tenebit orbis
Lauro: cui trophæum	Insignis, est superstes:
Ex splendidissimis fere	Et finus & rogos post
Apollo rupibus: nec	Vivit: mori Thalia
Fortuna huic nocebit	Docta ac Apollo talem
Adversa: nec profundi	Vetant. Superbus en jam
Potabit Acherontis	Laetat suas avarus

Opes, thoros, choreas  
Plausas, jocos & omnes.  
Hæc sumit ignis ardens  
Tamen: rotella sursum  
Vertit, levisq; ac deorsum:  
Manus cruenta Martis  
Aufertq;: nocte fures  
Tollunt: rapit vetustas.  
Solus, qui agit Triumphos,  
Solus, cui perennem  
Apollo dat coronam,  
Hic hic nihil timebit  
Manens dies & annos.  
Et te chorus decore  
Tali beat dearum  
Ritè, & tibi Camæna,

Andrea, dant honores  
Tibi labore partos  
Ac arte, qui per omnes  
Semper dies manebunt.  
Dirine te tulisse  
Iam pœnitet labores?  
Nactum, quod est relictum,  
Tibi labore laurum  
Grator, precorq; longos  
Sis in superstes annos,  
Hanc non viam relinquens  
Gressam: sed usq; summa  
Tu, dona ab arte constans  
Habebis. Ac profectos  
Rudi poëta versus,  
Te jam oro, sume latus.

Georgius Rhodigastus  
Noribergensis.

## Ad Paulum Stengelium.

Ωδη Επιστηνῆ.

Thraſonis & Philomusi.

- Thra. **B**is terq; fortunatus ille, Martiis,  
Velut potens antiquitas,  
Tumultibus qui gaudet, audax omnia  
Vite pericla perpeti.
- Phil. Beatus ille qui procul vita rudi,  
Vt sana gens mortalium,  
Indulget efficacibus scientiis,  
Sagacem adeptus indolem.
- Thra. Pelaga pubes præliis campestribus  
Pugnacibusq; viribus,  
Rebus latina bellicis gens gloriam  
Parasse quondam dicitur.
- Phil. Célébriores quin Athene, clarior  
Romana quin Republica

Olim

*Olim fiere literarum dotibus  
Et artium cultoribus.*

*Nam facta quamvis fortia absq; litteris  
Oblivione intercidunt:*

*Et tumba eadem consepulta nomina  
Queis obruuntur corpora.*

*Thra. Qui sub feroce Marte nunc stipendia  
Merent & ampla premia  
Venarier laboribus pro fortibus  
Queunt opesq; splendidas.*

*Phil. Quotquot dedere nomina Phæbo principi,  
Sunt divites honoribus,  
Clari coronis Laureis, que vatibus  
Laudis dabantur symbola.  
Nec sunt ut estis milites ergastula  
Duris coacti legibus.*

*Vel sponte qua decet sciunt committere,  
Quod dedecet intermittere.*

*Thra. Sors omnium sit militum prosperrima,  
Vivant beata secula:  
Feliciores quam omnium mortalium  
Turba vices Mavortia.*

*Phil. Serena semper fulgeat sors omnibus  
Qui dediti sunt litteris.  
Post Laureas mox auferant & aureas  
Laudis, corollas, tesseras.  
Hoc maximè tibi precor CVLTISSIME  
STENGEL. DEVS TER optimus,  
Ter maximus secundet hæc latissima  
Fama tua primordia.*

**M. Martinus Geislinger**  
**Dünckelspuhelensis,**  
**Inspector Alumno-**  
**rum.**